traditione, compenſauimus, ipſorumque defectum breui oratione ſuppleuimus, ſimiliter & quod occultatum fuit à nobis in parte vna: alibi manifeſtauimus illud in eadem parte hoc noſtro volumine: Vt ſic prudentibus cõplementum tam excellentis nobiliſque partis philoſophiæ patefiat. Scias igitur fili Chariſsime in hoc volumine, huius artis operationem, in capitulis generalibus vniuerſaliter ſine diminutione aliqua, ſufficienter contineri. Per Deum, qui ſecundùm hunc librum operatus fuerit, verum finem huius artis ſe inueniſſe lætabitur. Sed ſcito chariſſime, quod qui principia naturalia in philoſophia ignorat, multum remotus eſt ab hac arte noſtra, cum non habeat radicem veram, ſuper quam intentionem ſuam fundet. Ille verò qui principia cognouerit naturalia & cauſas mineralium, propinquus eſt: Non tamen adhuc adeptus eſt veram radicem ſeu finem proficuũ huius artis occultiſſimæ, licet habeat faci-